



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Regula Morum. Sive Dictamen Conscientiæ

**Babenstuber, Ludwig
Reichlin, Alphons
Hepper, Johann Baptist**

Salisburgi, 1697

Lectori.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39970

LECTORI.



Uidquid in homine laudem meretur, aut
vituperium, totum ferè situm in mori-
bus est. Mores, si recti, bonum, si pra-
vi, malum efficiunt. Cætera, quæ no-
bis seu fortunæ indulgentia, seu laboris
improbi solertia circumdat, sunt crepera ut plurimum
parerga vanitatis, quibus & citra noxam carere possu-
mus, & citra commendationem frui solemus. Negari
proinde à nemine potest, præclarè de genere humano
meritos esse, quotquot haçtenuis eam Theologiæ par-
tem, quæ ad mores pertinet, lucubrationibus, & com-
mentationibus suis excolendani sumpserunt. Nihil
enim ad vitæ Christianæ officia utilius, magisque ne-
cessarium istâ scientiâ cogitari, dicique potest. Hæc
quippe est optima honestatis pædagoga, solertissimâ
que rectè & beatè vivendi magistra. Quid enim vel
ipsa Divinorum Speculatrix Sapientia, vel aliæ Facul-
tates prosunt ad æternam felicitatem consequendam
séque, aliósque dirigenti, si practica imprudentia quo-
tidie cæspitat, atque à vera honesti semita deviat? id
verò absque Morali Theologia tam fieri pronum est,
quam euntem sine luce per Cimmerias tenebras viâ, si
vel Argus sit, aberrare necesse est. Hujus jam præstan-
tissimæ doctrinæ basim, atque præcipuum fundamen-

A

tum,

R.

tum, dum tractationem de Conscientia suscipimus, su-
peris benè faventibus, jacere decrevimus, opus profe-
ctò arduum, & aleæ periculosa plenissimum: quod
omnes, qui hoc argumentum diligenter versarunt, fate-
ri solent ingenuè. nam verè hīc Scyllam inter & Charyb-
dim est navigandum. Perijt, qui vel ad dextram plus
æquō, vel ad lævā deflexerit. medium verò teneret cur-
sum, quàm difficile! Incedendum proinde cautissimè,
cùm , ut hinc scopulosa immoderati rigoris Acroce-
raunia, cùm illinc exitiales dissolutæ laxitatis Symplega-
das evitemus. Hæc quippe gemina mala sunt nobis
ex æquo formidanda: cùm opinionum enormis laxi-
tas solutis Christianæ disciplinæ repagulis hominem ve-
lut effrenem equum agat in omne scelerum præcipiti-
um; nimius verò rigor excutientem suave Christi ju-
gum in desperationis barathrum non rarò adurgeat.
Hæc tecum, Amice Lector, in hujus opellæ meæ vesti-
bulo. Ad rem ipsam nunc statim aggredior. Tu modò,
Deus Opt. Maxime, qui nostrâ hâc lucubratione unicè
quæreris, mitte Sedium tuarum assistricem Sapienti-
am, ut mecum sit, & mecum laboret. Absit, ut quid
afferam vel Tuo sanctissimo Nominе indignum, vel Ec-
clesiæ Tuæ sanctionibus adversum. Siquid tamen e-
jusmodi exciderit incogitanti, & imprudenti, id jam
modò ceu non assertum revoco, totâque animi conten-
tione

Execrор, aversor, detestor, abominor, odi.

CAPUT